



DISSERTATIUNCULA  
 DE  
 LUPA, ROMULI ET REMI  
 NUTRICE,  
 QVA  
 PLURIMUM VENERANDOS  
 DNN. INSPECTORES,  
 OMNEISQVE ALIOS MUSARUM  
 FAUTORES ET AMICOS,  
 M. JO. FRIDERICUS Rober/ ILLUSTRIS  
 RUTHENEI RECTOR,  
 OBSERVANTIA, QVA PAR EST, ET HUMANA-  
 NITATE INVITAT,  
 ET,  
 UT AUSCULTARE BENEVOLE  
 VALEDICTURUM  
 CHRISTIANUM WOLFIIUM,  
 GERANUM,  
 HAUT GRAVATIM VELINT,  
 ENIXE ROGAT.

---

GERÆ, TYPIS MULLERIANIS.





**M**emorabile in primis & ce-  
 dro dignum, quod de Romulo ac Remo, Amu-  
 lii jussu iniquissimo expositis ad Tiberim flu-  
 vium, sed à lupa deinde conservatis ac enu-  
 tritis benignè, veterum memorant annales.  
 Cujus quidem rei in mentem nobis nunc venit, consideran-  
 tibus Valedicturi nostri, CHRISTIANI WOLFII, nomen  
 gentilitium. Et quamvis multa sint, de quibus dici in præsen-  
 tiarum liceat, de Gera in primis nostra, blandissima patria,  
 quippe de qua Ipsi sermo futurus est; hac tamen sepositâ  
 materiâ, quia aliis non intacta aliàs; ( $\alpha$ ) de eo nunc curam  
 suscipiemus, & hac dissertatione qualicunqve explicabimus,  
*ecquænam lupa fuerit, quæ primis Romæ conditoribus rumen  
 præbuit & materna alimenta?* Etenim nec res proletaria est,  
 & lucubratione omninò digna. Et per se jucundum omni-  
 nò, ire in ultimam rei originem, & quicquid autores o-  
 pprimi de ea senserint, & scriptum reliquerint posteritati, in-  
 quirere. Quis etiam est, quem non moveat clarissimis mo-  
 numentis testata consignataque antiquitas ( $\beta$ )? Quare ope-  
 ram nos non lusuros, certum est; si thema hoc, quantum per  
 varia licet præpedimenta, curatius paulò examinemus, &  
 quæ nostra animi mens sit, paucissimis exponamus. In di-  
 versa verò hîc abire Scriptores & collidi inter se; in proclivi  
 est cuivis, in monumenta eorum paulisper digredienti.  
 Sunt enim primò, qui *negant*, lupam aluisse Romulum &  
 Remum, sunt & qui *affirmant*. Hi lupam intelligunt pro-  
 priè sic dictam, ferum nempe illud animal, robustum, carni-  
 vorum, ovibus præcipuè infestum. Illi contra Lupam fuisse  
 A 2 dicunt

dicunt Accam Laurentiam, vel, ut vocant multi, Larentiam, Faustuli pastoris uxorem, *quæ* (verba sunt Eusebii in Chronicis) *propter pulchritudinem & rapacitatem corporis quæstuoſi Lupa à vicinis appellata ſit.* Inter patronos ſententiæ hujus depræhendimus eloquentiæ lacteæ patrem L. Cælium Lactantium Firmianum, qui ita ait ( $\gamma$ ): *Romuli nutritrix Lupa honoribus eſt affecta divinis, & ferrem, ſi id animal ipſum fuiſſet, cujus figuram gerit. Autor eſt Livius, Larentiæ eſſe ſimulacrum & quidem non corporis, ſed mentis ac morum. Fuit enim Faustuli Uxor, & propter vulgati corporis vilitatem Lupa inter paſtores, i. e. meretrix nuncupata eſt.* Cui adſtipulatur B. Hieronymus in Chronicis Eusebii, ( ) cujus jam antè fecimus mentionem. Verba ejus ita habent: *Verum parvulos, prope ripam Tiberis expoſitos, Faustulus regii paſtor armenti ad Accam Laurentiam uxorem ſuam detulit; quæ propter pulchritudinem & rapacitatem corporis quæſtuofi, Lupa à vicinis appellabatur. Unde ad noſtram uſq;ve memoriam meretricum cellule lupanaria dicuntur.* Sequuntur hos complures alii, Auſonius in Epigrammatibus, ( ) Dionyſius Halicarnaff. ( ) Servius ( ) in Virgilium, Alexander ab Alexandro ( ) Barnabas Briſſonius, ( ) & ex recentioribus ſæculi ſui Varro Gerh. Johan. Voſſius (x) nec non Juſtus Rycqvius ( ). Et quis vel evolvere omnium ſcripta poſſit, vel indicare nomina velit? De Lactantio videtur illud hoc loco monendum, quod fide non ſatis bona provocet ad Livium. Ait, *Livium autorem eſſe, quod Lupa ſimulacrum ſit Larentiæ, cujus quidem non corpus, ſed mentem ac mores hac effigie poſuerint ob oculos Romani.* Verùm Livii hiftorias conſulenti patebit, de ſimulacro iſto nec volam extare, nec veſtigium. Cæterum Livius cum Halicarnaffenſi vel primus eſt, qui de lupa Romuli diverſas affert ſententias, adeoq;ve dubitandi anſam præbet. Tenet fama (inquit Patavinus ( )) *cum fluitantem alveum, quo expoſiti erant pueri, tenuis in ſecco aqua deſtituiſſet, lupam ſitientem ex montibus, qui circa ſunt, ad puerilem vagitum*

tum

eum cursum flexisse: eam submissas infantibus adeo mitem præ-  
 buisse mammæ, ut lingua lambentem pueros magister regni peco-  
 ris indenerit (Faustulo fuisse nomen ferunt) ab eo ad statula  
 Laurentiæ uxori educandos datos. Sunt, qui Laurentiam vul-  
 gato corpore lupam inter pastores vocatam putent: inde locum  
 fabulæ ac miraculo datum. Incertus est optimus Autor de  
 tota re: nititur mox fama, mox opinione: jam fabula est,  
 quam exposuit, jam miraculum. Sic etiam trepidè satis hac  
 de re augustissimus Patrum loquitur, quando ita: (v) *Amu-  
 lius Romuli matrem Vestalem virginem fecerat, quam volunt de  
 Marte geminos concepisse, isto modo stuprum ejus honorantes vel  
 excusantes, & adhibentes argumentum, quod infantes expositos  
 lupa nutritur. Hoc enim genus bestia ad Martem existimant  
 pertinere, ut videlicet ideò lupa credatur admovisse ubera  
 parvulis, quia filios domini sui Martis agnovit: quamvis non  
 desint, qui dicant, quum expositi vagientes jacerent, nescio à quâ  
 primum meretrice fuisse collectos, & primas ejus suxisse mamil-  
 las. Meretrices autem lupas vocabant, unde etiam nunc turpia  
 loca earum lupanaria nuncupantur. Et eos postea ad Faustu-  
 lum pervenisse pastorem, atque ab ejus Acca uxore nutritos,  
 quanquam si ad arguendum hominem regem, qui eos in aquam  
 projici crudeliter jusserat eis infantibus, per quos tanta civitas  
 condenda fuerat, de aqua divinitus liberatis, per lactantem fe-  
 ram Deus voluit subvenire, quid mirum est? Fluctuat & hic  
 Vir sanctissimus, imò nescit, à quâ primùm nutriti sint me-  
 retrice; nec dubium est quin perinde ut Lactantius, rivulos  
 suos ex fonte Liviano aliove deduxerit. Trahit nempe vara-  
 vibiam, nec potest nisi incertos reddere comites dux incer-  
 tus. Et si fatendum, quod res est, videntur hi omnes con-  
 fundere perperam duas, easque diversissimas Romuli ac Re-  
 muli alumnas. Nam nec negandum videtur, Accam La-  
 rentiam nutricis officio functam, (libenter id concedimus  
 Macrobio (ξ), Blondo (·) & aliis, quos hactenus recensui-  
 mus) & primùm miserè ejulantibus Romulo & Remo mam-*

mas præbuisse lupam. Quod discrimen qui negligunt, mirum non est, si ex uxore Faustuli prostibulum faciunt & lupam. Dicunt quidem hinc dicta esse lupanaria, sive receptacula mulierum, quæ aliorum amori flagitiosissimè serviunt: Sed quia non probant, tam facilè rejici potest, quàm profertur. Et quamvis etiam τὰν ἀνθρώπων largiamur, fabulosum esse, quod de utriusque parente ferunt, eum nempe Martem fuisse, quippe quem pro Deastro habet cordatorum quivis; (certè Eutropius (π), Jornandes (ε) & alii de hōc parente dubitant) inde tamen consequitur nullatenus, lupam feram non fuisse illorum nutricem. Et hoc modo intelligendum putamus, quod Strabo (σ) clarissimus Geographus, alicubi dicit: *Fabulantur Marte genitos pueros, animadversumq; eos à lupa catulorum loco ali.* Innuit enim, commentum quidem, quod de Marte tradunt, esse, nequaquam verò, quod de nutrice lupa animadversum jam olim fuit. Igitur, ut ad affirmativam, quæ nobis præcipuè arridet, veniamus; certissimum est, diu ante Livium commemorasse alios, & vetustissimos quidem Historicos, hunc cum fratre verè à lupa fera lactatum fuisse. Idque primum esse pro nostra sententia argumentum potest. Neque enim absolutè verum videtur esse, quod Justinus (ι) scribere non veretur, omnem antiquitatem fabulosam esse. Potius Stagiritæ illud, ex tripode prolatum & cortinâ veriore, animum nobis addit, quo dixit: (υ) πεινύτατον τὸ πρεσβύτατον, *venerandum maximè, quod antiquissimum est.* Accedit hūc, quod Romuli ac Remi historia neque in tempus, quod ex Varrone Censorinus (φ) vocat ἀδηλον sive obscurum, nec in secundum, quod μυθικόν appellatur, sed in ἰστορικόν incidat. Quod quia à prima Olympiade ad nostra usque tempora deducitur; ecquis in fabulis ponat omnia, quæ ad hoc tempus referuntur? Jam Romuli & Remi conceptionem contigisse anno secundo Olympiadis secundæ primo die Mensis Thargelionis, locupletissimus autor Halicarnassæus est; quo ipso

tem-

tempore & horrendam Solis eclipsin accidisse, calculus Astronomicus (x) evincit. Unde si scorias ab auro separemus, dubium non est, quin, quæ in historia nostra occurrunt, pleraque omnia veritatis calculum mereantur. Sed agamus denique, quod agimus, & quoad ejus fieri potest primò antiquissimos adducamus Autores, opinionis nostræ vades, deinde & alios recentiores paulò, illis consentientes. Et hîc optandum utique esset, votis si res ageretur, ut annales maximi, quos ab initio prope rerum Romanarum scripsere pariter & asservârunt Pontifices prisca, (ψ) extarent, aut ad minimum Catonis origines, quas nitidissimus Nepos (α) eximiè laudat. Sic enim dubium non foret, quin tota de re exactius constaret. Primus igitur, quem ad adolescentiam Romanæ historiæ Vossius (a) refert, Ennius (b), non tam Poëta, quàm historicus, certè non fabulosè, sed historica fide rem hanc memorat, & his quidem fragmentorum, quæ Paulus Merula non sine stupendo labore ex variis Autoribus collegit, verbis :

-- -- -- *Gemineiq; hinc ubera circum,*  
*Ludent pendentes pueri. -- -- --*

\*  
*Dolciferai feicei lactantes ubere toto,*  
 \*

*Endotuetur ibus Lupu femina, conspici omnes*  
*In campo celerei passu praisto esse parumper*  
*Conjicit in siluam sese -- -- --*

Ex cujus sterquilinio h. e. stylo minus polito, hoc nobis aurum Virgilius (c) dedit:

*Fecerat & viridi fœtam Mavortis in antro*  
*Procubuisse lupam, geminos huic ubera circum,*  
*Ludere pendentes pueros, & lambere matrem,*  
*Impavidos: illam tereti cervice reflexam,*  
*Mulcere alternos, & corpus fingere lingvâ.*

Neq;



Neq; verò Ennius ille, qui, ut eum Lucretius (d) celebrat,

-- -- -- -- *primus amœno*

*Detulit ex Helicone perenni fronde coronam,*

quia carminicè scripsit, eò inter historicos locum non habet, nec causam pro nobis dicere potest. Nam, ut rectè censet laudatus ante, nec unquam tamen laudandus satis Vossius (e), *historiam carmine signavit*, & locum inter historicos Latinos, qui quidem extant, eodem iudice, vel primum meruit. Cui alterum, si non secundum dare fas est, Sextum Aurelium Victorem (f), qui etsi junior paulò, tamen, quia ex annalibus Pontificum, Fabio Pictore & aliis (g) antiquissimis suum concinnavit Breviarium, inter prisciores suo quodam jure nominatur. Is verò nostram historiam ita enarrat: *Amulius Rex, ut comperit, Rheam Silviam sacerdotem peperisse geminos, protinus imperavit deportari ad aquam profluentem, atq; eò abjici. Tum illi, quibus id imperatum erat, impositos alveo pueros, circa radices montis Palatii in Tiberim, qui tùm magnis imbribus stagnaverat, abjecerunt: ejusq; regionis Subulcus Faustulus, speculatus exponentes, ut vidit relabente flumine alveum, in quo pueri erant, obhæsisse ad arborem ficæ; puerorumq; vagitu lupam excitam, quæ repente exierat, primo lambitu eos deterfisse, dein levandorum uberum gratia mammas præbuisse: descendit ac sustulit, nutriendosq; Accæ Larentiæ uxori suæ dedit. Huic par non immeritò ponitur, imò & præfertur *ωγλυήστωρ* jure Quintus Fabius, qui Pictor vocabatur, quemq; L. Cincius, Porcius Cato, Calpurnius Piso, & alii Scriptorum pleriq; sunt secuti. Eum ergò non immeritò, & quidem, interprete Æmilio Porto, loquentem apud Dionysium audiamus (h). Postquam igitur alia hætenus sæpe commemorata præmisit, tandem ita infit: *Quum autem lupa quædam apparuisset uberibus recenti partu lacte turgentibus, eorum ori mammas præbuit, & lingua cœnum, quo pleni erant, lambendo absterfit. Interea verò fortè pastores greges pastum agebant (locus enim jam pervius erat) & ex his quidem,**

con-

conspecta lupa, quæ infantes fovebat. aliquandiu spectaculi no-  
 vitate attonitus, & vix satis oculis suis credens hæsit : deinde  
 quum abiisset, & convocasset è proximo loco quamplurimos po-  
 tuit pastores (neq; enim ejus verbis fides habebatur) eos ad ipsum  
 spectaculum adduxit. Quum autem & illi propius accedentes  
 banc tanquam filios foventem, illos tanquam ex maternis uberi-  
 bus pendentem animadvertissent, divinam quandam rem se vide-  
 re rati, frequentes clamore feram territantes propius accesse-  
 runt. At lupa eorum adventu non valde efferata, sed ut mansue-  
 ta, sensim ab infantibus recessit, & cum magna turba pastoralis  
 contemptione abiit. Et quid Dioclem Peparethium dicamus,  
 qui primus è Græcis memoriæ prodidit originem urbis Ro-  
 mæ? Hic certè idem, quod alii hætenus, tradit, teste Festo  
 in fragmentis.\* Possemus in istorum laudes divagari latius,  
 nisi nos hac opera sublevasset Vosius in præclarissimis de  
 Historicis cum Græcis, tum Latinis, commentariis. Adde-  
 remus etiam non pauca ex aliis, qui pedibus eunt in nostram  
 sententiam, nisi tædio foret, aliorum compilandis verbis  
 immorari diutius. Et quoniam evolvi nullo negotio possunt,  
 eos vel laudasse suffecerit. Sunt illi Julius Hyginus (i), Augu-  
 sti libertus, Ovidius (k), Propertius (l), Plinius (m), Juvena-  
 lis (n), Plutarchus (o), L. Annæus Florus (p), Justinus (q),  
 Trogi abbreviator, Arnobius (r), Prudentius (s), Sidonius  
 Apollinaris (t), Jornandes (u), aliiqve, quorum magnus  
 numerus est. Quod restat, Sole meridiano dispale-  
 scit nunc clarius, & numero testium majore niti nostram  
 sententiam, & si non antiquissimos, (quippe qui non extant)  
 antiquiores tamen pro se afferre posse, quam qui contrariam  
 fovent. Atq; sic ἐκ τῶν ἀρχαίων ἀρχῶν, quod omninò necessum  
 fuit in materia historica, affirmativam stabilire conati su-  
 mus. Palmarium isthoc argumentum superpondii loco &  
 sequentibus confirmare licet. Nimirum exquisitè nostrum  
 approbant assertum varii apud Gorlæum & Antoninum Au-  
 gustinum nummi (x), quorum nonnulli lupam, sub ficu ru-  
 mina-

B

mina-





minali duos puellōs lactantem, exhibent. Qvi quod non exigua sint autoritate, ubi testimonium perhibendum est antiquitatis; quotusquisq; est tam ignarus rerum, qvi nesciat? Certè iisdem confusus, multorum Imperatorum nomina, aliaq; cum summo literariæ rei commodo restituit & emendavit Christophorus Adamus Ruperti (y), quem immaturâ sublatum morte nondum cessant lugere Musæ. Et quid statuatam commemorabo æneam, cujus non Livius modo & Dionysius, sed & Cicero (z) etiam (at quantus vir!) meminit? Ille verò hac de re ita canit:

*Heic silvestris erat Romani nominis altrix*

*Martia, quæ parvos Mavortis semine natos*

*Uteribus gravidis vitali rore rigabat.*

*Quæ tum cum pueris flammato fulminis ictu*

*Concidit, atq; avulsa pedum vestigia liquit.*

Supereſt adhuc Romæ monumentum illud nobile, &, quia fulminis notâ in crure ostendit, vix dubitare licet, quin idem illud sit, quod Urania Tulliana depinxit. Testatur hoc atq; exhibet non solum Rycqvius (aa) de Capitolio Romano, quem librum adolescens unde viginti & vix amplius annorum scripsit, sed & Hodæporicon Serenissimi Marchionis Brandenb. CHRISTIANI ERNESTI, quod sub nomine *Ulyſſis Brandenburgensis* notum est. Deniq; & pro nobis stat moderatrix rerum humanarum Providentia, quæ, quos magnis destinavit rebus & culminibus summis, eosdem in infantia mirabiliter conservare solet. Sic legimus, (bb) Cyrum à cane, Semiramidem à columbis, Midam à formicis, Habidem à cerva, Peliam ab eqva, Paridem ab urſa, Ægypthum à capra, Platonem, Hieronem, Ambrosium ab apibus, ab aliis alios sive pastos sive nutritos esse. Non semper hæc conficta esse, præter alios fusè demonstrat Philippus Camerarius (cc) in Horis suis. Adeoq; Barclajus rectè canit:

-- -- *nunquam tranquilla exordia fatiſ*

*Heroum eximiis, nec deniq; naufraga virtus.*

Et

Et nostros quod attinet lupæ alumnos, in eorū conservatio-  
 ne non otiosam fuisse providentiam Dei, quam ethnici Scri-  
 ptores Fortunam vocant, non pauci eorundē, Halicarnassæus  
 præcipuè, Plutarchus & Justinus, ex Patribus etiam Augusti-  
 nus (dd) agnoscunt & fatentur. Possemus & ex nomine Ro-  
 muli pro nostra sententia conjecturam facere, quod à Lupæ  
 ruma i.e. marima, unde nutrimentum accepit, habere qui-  
 busdam videtur, ut in nummis Antonini Pii æreis, ceu Abra-  
 hamus Ortelius (ee) testatur; si pagina ac tempus paterentur.  
 Sufficiant hæc pro nutrice Romuli ac Remi lupa; quæ no-  
 bis opinio vero admodum similis, si non verissima, videtur.  
 Cæterum ut res ipsa, ita & nos permittimus cuiusvis dissen-  
 tiendi arbitrium. Nunc ad abiturum nostrum sermonem  
 convertimus. Est is *VIRI AMPLISSIMI DN. CHRISTIANI*  
*WOLFII*, Judicis Provincialis in Dynastia Gerana spectatis-  
 simi & pius & morigerus filius. Qui uti in literis & artibus,  
 quas docemus, non pœnitendos pro suâ, quam nobis proba-  
 vit usque, industriâ, fecit progressus: ita, accedente in pri-  
 mis optimi Parentis nutu, lubenter eum ac meritò è sinu  
 Gymnasii patrii dimittimus, & ut feliciter in studiorum  
 cursu pergat, salvusq; & incolumis semper vivat, inque DEI  
 gloriam tandem patriæ utilissimè inserviat, paterno planè  
 animo vovemus! Cras, DEO dante, sub ipsam II. pomeri-  
 dianam antè, quàm vale nobis dicet, *in laudem Geræ nostræ*  
*orationem non indiligenter elaboratam habebit. Ut igitur*  
*lingvis animisq; favere nobis præsentibus velint PLURIMUM*  
*VENERABILES DNN. INSPECTORES, ALIIQVE STUDIO-*  
*RUM NOSTRORUM FAUTORES*, enixè rogitamus. Nihil  
 nobis curæ magis cordiqve erit, quam ne ingrati moria-  
 mur. *Λόγον περὶ πειπληκόν* de more habiturus est JOH. FRIDE-  
 RICUS Wolff / GERANUS. P P. Geræ Ruthenicæ IV.  
 Iduum Maji, A. O. R. M. DC. LXXIV.

NOTU.

Et



## NOTULARUM EVOLUTIO.

(*α*) v. dissert. duæ Plurimum Reverendi MITTERNACHTII de Gerar Palæstinæ & Geræ Osterlandiæ comparatione, quarum prior Valedictoriam indixit optimi Compatri Amicique, Dn. M. ANDREAE BUTNERI, tunc Gymnasii hujus alumni. (*β*) Ita Cicero I. de divin. p. m. 369. (*γ*) div. Inst. I. 20. p. m. 31. b. (*δ*) ap. B. Briffon. de jure connub. p. m. 141. (*ε*) epigr. XXV. p. m. 8. (*ζ*) lib. I. antiq. Rom. p. m. 109. (*η*) in lib. I. Æn. p. m. 446. b. (*θ*) genial. dier. II. 31. p. m. 110. a. (*ι*) l. c. (*κ*) de orig. & progr. Idolol. I. 12. p. 92. & in Etymolog. f. 298. (*λ*) comm. de Capitol. R. c. 24. p. 310. (*μ*) lib. I. p. m. 6. (*ν*) de Civ. Dei XVIII. 21. p. m. 608. (*ξ*) lib. I. Satur. c. 10. p. 287. (*ο*) triumphantis Romæ f. 22. (*ω*) lib. I. Breviarii p. m. 437. (*ρ*) l. I. de regnor. ac temp. success. p. m. 653. (*σ*) lib. 5. Geograph. citante Thom. Dempstero ad Rosin. antiq. Rom. I. 1. p. 7. (*τ*) lib. 2. citante Hornio in Hist. Philosoph. p. m. 147. (*υ*) lib. I. Met. 3. p. m. 486. ed. Cas. (*φ*) de die natal. c. 21. apud Degoreum Wheat relect. Histor. parte I. sect. 2. p. 28. (*χ*) Calvisius, Bunting. & alii, quos laudatos v. ab H. Kipping. antiq. Rom. I. 3. p. m. 122. (*ψ*) Voss. de hist. Latin. I. 1. p. 2. sq.) (*ω*) in vita M. Porcii Catonis III. 3. Conf. Voss. de Idolol. l. c. (*a*) de hist. Lat. c. 2. p. 5. (*b*) Annal. lib. I. p. 4. Dedit hos dono mihi Nobilis. Dn. D. JACOBUS PLIZIUS, Amicus venerandus. Cui Deus ideò dicit, ὅσα Φρεσίν ἐῆσι μενοιῶ! (*c*) IIX. Æneid. v. 630. sqq. Add. I. v. 277. sq. (*d*) l. I. ap. Voss. de hist. Lat. p. 9. (*e*) l. c. (*f*) p. m. 257. 258. (*g*) ita præfert titulus p. m. 241. (*h*) p. m. 100. 101. \* locum adducit Dn. Casp. Sagittarius disp. de expositione infantum c. 3. §. 4. (*i*) fab. 252. (*k*) l. 2. Fastor. p. 41. ed. Bersm. & l. 3. p. 58. (*l*) l. 4. ed. I. p. m. 273. sq. ed. Scalig. (*m*) VIII. Hist. nat. 17. p. m. 360. & XV. 20. p. 676. ubi de ficu ruminali v. Dalechamp. in not. h. l. lit. m. (*n*) Sat. XI. v. 104. sq. (*ο*) in vitâ Romuli & alibi. (*p*) I. 1. p. 6. & Freinsh. (*q*) XLIII. 2. (*r*) 4. contra gent. p. m. 128. (*s*) *ωβι σφ*. XIV. v. 611. contra Symm. L. post. v. 392. sq. (*t*) carm. II. v. 119. cit. Dempst. l. c. (*u*) l. c. (*x*) Kipp. ant. Rom. I. 7. p. 181. (*y*) in observ. ad Besold. hinc inde. (*z*) l. I. de divin. p. m. 354. H. l. 2. p. 389. A. in fragm. p. 711. ed. Gothofr. (*aa*) l. c. p. 309. (*bb*) Rupert. in Flor. I. 1. p. 47. & Alex. ab Alex. gen. dier. II. 31. p. 110. sq. quorum ille multos in hanc rem adducit Autores. (*cc*) cent. I. c. 75. p. 344. (*dd*) ll. cc. (*ee*) de deor. dearumq; capitibus L. 2.

••(o)••

1077

1612

